

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Anthropologia Anatomico-Physica

Baumer, Johann Wilhelm

Francofurti, 1784

VD18 11680695

Cap. XVIII. De extremitatum inferiorum venis.

urn:nbn:de:gbv:45:1-16622

§. X.

Venarum mediastini plurimis radiculis ex *Mediasti-*
 duplici eius membrana venientium *dextra^{na.}*
 trunco cavæ superiori, prope venam sine
 pari, atque sinistra subclaviæ eiusdem late-
 ris immittitur. Cæteroquin cum mamma-
 riarum internarum, intercostalium atque
 diaphragmaticarum radiculis anastomoses
 faciunt.

§. XI.

Venæ diaphragmatica superiores duæ *Phrenica*
 multis radiculis ex septo transverso ac pe- *superiores.*
 ricardio exfurgunt, earumque dextra ad
 cavæ superioris divisionem, prope media-
 stinam, sinistra ad subclaviam sinistram,
 quandoque alterutra in venam azygos vel
 hepaticam aliquam, abeunt.

CAP. XVIII.

De extremitatum inferiorum venis.

§. I.

Plures pedis extremi radiculae venosæ in- *vena pero-*
 ter se iunctæ duas tresve *venæ peroneæ nea.*
 radices constituunt, quæ, ad malleolum ex-
 ternum ascendentes, internum fibulæ latus
 sequuntur, & pluribus cum tibialis poste-
 rioris radiculis factis anastomosis, in as-
 censu suo multas musculorum peroneorum
 longique flexoris digitorum pedis radículas
 recipientes, in truncum coalitæ cum vena

poplitea committuntur. Vid. *B. Eustachii* tab. anat. XXIII. n. i. lit. O.

§. II.

*Tibialis
anterior.*

Ex radiculis venosis dorsum pedis occupantibus duæ tresve radices ortæ & radice, cum tibiali posteriori anastomosin habente, auctæ in anteriore ligamenti interossei parte ascendunt atque in venam tibialem anteriorem colliguntur, quæ, inter musculos tibialem anticum longumque digitorum pedis flexorem sursum repens, radiculis, cum poplitea anastomosin facientibus, ad superiora missis, ligamentum interosseum posteriora versus penetrat, novisque radiculis a musculis pone tibiæ ac fibulæ caput acceptis, cum vena poplitea sub musculo eiusdem nominis coniungitur. Vid. *B. Eustachii* tab. anat. XXIII. n. i. lit. P.

§. XIII.

*Tibialis
posterior.*

Venæ plantares, acceptis digitorum pedis radiculis, formatis arcibus, admisissique cum saphena magna anastomosibus, in duas tresve radices collectæ, pone malleolum internum, per calcanei sinuationem sursum feruntur, novisque, in inferiore tibiæ extremitate, cum saphena ac tibiali anteriore formatis anastomosibus, coniunctione sua *tibialem posteriorem* efficiunt, quæ inter musculos tibialem posteriorem ac soleæ similem, a quibus radículas accipit, ulterius ascendens & vena *surali*, a musculis gastrocnemiis & soleæ simili veniente, aucta, cum

tibiali anteriore ac peronea venam popliteam constituit. Suas arterias venæ hæ omnes comitantur. Vid. *B. Eustachius* tab. anat. citata.

§. III.

Ex venarum tibialium atque peronearum ^{Poplitea.} coalitu orta poplitea sub musculo cognominali, acceptis lateralibus ac posticis a musculis peroneo longo, gastrocnemiis, tripiti, semimembranoso, & seminervoso radiculis, inter femoris condylos sursum fertur, atque, a musculis flexoribus tibiæ & vasto utroque radiculis iterum donata, paullo super poplitem venæ cruralis nomen accipit. Vid. *B. Eustachii* tab. anat. XXIII. n. 1. lit. M.

§. V.

Saphena parva (σαφήνη manifesta) vel externa in externo pedis latere a radiculis venosis ortum ducens, sub cute ad malleolum externum tibiamque ascendit, emissa radice in truncum suum redeunte. Dein, ad popliteam pergens, infra & supra illam alias radices, cum saphena magna connexionem habentes accipit, atque in femore, prope poplitem, cum vena crurali coniungitur. Vid. *B. Eustachii* tab. anat. XXIII. n. 1. ^{Saphena parva.}

§. VI.

Saphena magna vel interna, in toto ascensu suo nonnisi integumentis communibus tecta, in pedis pollice incipiens, atque ^{Saphena magna.}

inter priora metatarsi ossa progrediens, arcum, plures radículas a pedum digitis ac malleolo externo recipientem, format. Dein, malleolum internum supergrediens, radicem a latere externo advenientem, aliamque a pedis planta in latere interno ascendentem, & cum tibiali ad arcus formandos concurrentem, suscipit, atque, in interiori tibiæ latere, sursum lata, circa huius medium radículas anterioribus a periofteo protrusis, aliaque a muscoli soleæ similis capite veniente, atque circa superiorem tibiæ extremitatem radículas anterioribus ac posterioribus, ab integumentis communibus ortum trahentibus donatur. In femur denique, inter integumenta communia & musculum sartorium, ascendens, radicem a saphena parva emissam, nonnullas a musculo sartorio prodeuntes, aliasque in anteriore femoris parte ascendentes, accipit, & denique radículas ex glandulis inguinalibus egredientes admittens, venæ crurali inferitur. Vid. *B. Eustachii* tab. anat. XXV. n. II. lit. v.

§. VII.

Vena cruralis.

Vena cruralis vel femoralis, a poplitea, mutato nomine, oriens, venam *ischiatricam*, nervum eiusdem nominis comitantem, & sub trochantere minore in truncum suum redeuntem, emittit, & venam saphenam parvam recipit. Dein, pone arteriam femoralem, ascendens, atque e regione dicti

trochanteris radice anteriore a musculis vasto interno, tricipiti ac pectineo, & posteriore a gluteis, vasto externo & bicipite accedente aucta, ex musculis femoralibus emergit, atque receptis saphena magna, & musculi pectinei, pudendæ externæ, glandularumque radiculis, sub Fallopii tendine, sumto iliacæ externæ titulo, pelvim intrat. Vid. *B. Eustachii* tab. anat. XXIII. n. II. lit. L.

CAP. XVIII.

De venis pelvis.

§. I.

Radiculæ venosæ ab ano partibusque ^{Hypoga-}vicinis venientes venas ^{strica ra-}hæmorrhoidales ^{dices ulti-}externas, cum internis anastomosi nexas, ^{ma.}constituunt. Ex partium genitalium, muscutorum gluteorum ac pectineorum radiculis *pudendæ internæ* colliguntur. Ex inferiore ossis sacri parte vena insignis etiam ascendit, quæ omnes venæ hypogastricæ radices ultimæ sunt. Vid. *B. Eustachii* tab. anat. XXV. n. II. lit. A. B.

§. II.

Ab ureteribus, vesica & partibus genitalibus internis venientes radiculæ radicem ^{Eius radi-}communem, in feminis maiorem, cum ^{cas latera-}venis spermaticis anastomosi admittentem, ^{les & po-}constituunt. Aliæ radiculæ, a coniunctione ^{steriores.}ossium ilium atque ischiorum, musculis